

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

Ph.D. Level Medieval Latin Examination

5 September 1997

Translate **ALL** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. **Biblical Exegesis (Gregory the Great)**

Sciendum uero est, quod quaedam historica expositione transcurrimus et per allegoriam quaedam typica inuestigatione perscrutamur, quaedam per sola allegoricae moralitatis instrumenta discutimus, nonnulla autem per cuncta simul sollicitius exquirentes tripliciter indagamus. Nam primum quidem fundamenta historiae ponimus; deinde per significationem typicam in arcem fidei fabricam mentis erigimus; ad extremum quoque per moralitatis gratiam, quasi superducto aedificium colore uestimus. Vel certe quid ueritatis dicta nisi reficiendae mentis alimenta credenda sunt? Quae modis alternantibus multipliciter disserendo ferculum ori offerimus, ut inuitati lectoris quasi conuiuiae nostri fastidium repellamus, qui, dum sibi multa apposita considerat, quod elegantius decernit, adsumat. Aliquando uero exponere aperta historiae uerba neglegimus, ne tardius ad obscura ueniamus; aliquando autem intellegi iuxta litteram nequeunt, quia superficie tenus accepta nequaquam instructionem legentibus, sed errorem gignunt.

2. **Cnuto (Canute) seeks reinforcements from home (Gesta Cnutonis, 1041 AD)**

Mortuo patre Cnuto regni parat retinere sceptrum; sed ad hoc minime sufficere potuit deficiente copia fidelium. Angli siquidem memores quod pater eius iniuste suos invasisset fines, ad expellendum eum, utpote qui iuvenis erat, omnes regni pariter collegerunt vires. Quo comperto, rex clam per fideles amicos reperto honoris sui consilio, classim sibi preparari iubet, non quod asperos eventus belli metuendo fugeret, sed ut fratrem suum Haroldum, regem scilicet Danorum, super tali negotio consuleret. Paterna itaque classe repetita instauratoque remige, ventis marique regalia commisit carbasa, sed tamen non omnem militiam secum reduxit, quae cum patre suo secumque patriam introivit. Nam Thurkil, quem principem militie prediximus, terra quod esset optima inspecta, maluit conversari in tam fertili patria, cum patriensibus pace confecta, quam velut expulsus demum redire ad propria. Et ut quidam aiunt, hoc non fecit despiciendo dominum, sed uti, cum resumptis viribus fratrisque auxilio repedaret ad debellandum regnum, is aut optimates regni consilio suo ad deditionem flecteret, aut si id parum processisset, dimicantes contra dominum suum hostes incautos a tergo cederet.

3. **The King faces difficulties on his borders (Ruotger Vita Brunonis, 10th C.)**

Nimis longum est persequi, quomodo memoratus rex, pater huius magni viri, de quo agimus, ad illam tam grate pacis serenitatem pervenerit, cum ipse omnia regni sui spacia et continuis finitimorum incursionibus et gravissimis inter cives etiam et cognatos dissensionibus concussa et atrociter vexata reppererit. Hinc etenim seva Danorum gens terra marique potens, inde centifida Sclavorum rabies barbarorum frendens inhorruit, Ungrorum nihilominus insecuta crudelitas, transgressa terminos Marahensium, quos sibi non longe ante impia usurpavit licentia, plerasque provincias regni eius ferro et igne longe lateque vastavit. Trans Renum occidentem versus nobis omnia rebellabant; ipsi certe regni adhuc angusti principes in sua viscera pene inremediabiliter seviebant, que omnia vel resecaere vel sanare nemo nisi precipua virtute et singulari peditus industria posset. Sed post aliquantum temporis tantus timor per gratiam divinam invasit extraneos, ut nihil umquam eis esset formidabilius.

4. An arrogant ignoramus (Epistola Gunzonis)

Hec strictim commemoravi, non quo artium precepta ponerem, sed ut stultitiam indocti monachi reprehenderem. Cui cum scientia artium abesset liberalium, maluit fraude grammaticellus videri quam scientiam artium saltem extrinsecus adipisci. Est enim ars intrinsecus, est et extrinsecus. Infelix, quia intrinsecus fortasse artes adquirere non potuit, quare non saltem extrinsecus adquisivit? Esto; sapientem se putavit. Num tandem, quid alii sentirent, inquirere debuit? In rebus enim diversorum hominum diversa est opinio. Inde est illud Terentii: *Quot homines, tot sententiae*; de quo et Persius inquit: *Mille hominum species et rerum discolor usus*. Putat se fortassis omnia scire, quod summe dementie esse nullus ignorat. Nescit in hoc, quid Cicero dicat: *unum vix pauci possunt, utrumque nemo*, et Maro: *non omnia possumus omnes*.

Nimia iactantia elatus est, ut inter suos sapiens videri posset, veluti Cicero poeticus inter suos ultra hominem videri voluit. Rana in limo non dubitat se magnitudini vaccae comparari, eoque modo monachus uno casu vult doctus haberi.